

**De haemorrhagiis uterinis in praegnantibus : theses  
anatomico-chirurgicae.**

**Contributors**

Forestier, Jean Baptiste Antoine Gaspard.  
Piet, Guillaume Louis, -1807.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Parisiis : Typis Michaelis Lambert, 1782.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/eng96bhw>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

12.



D. O. M.

DE

# HÆMORRHAGIIS UTERINIS

IN PRÆGNANTIBUS.

*THESES*

ANATÓMICO-CHIRURGICÆ.

PER totum gestationis stadium, hæmorrhagiâ uterinâ corripi posse mulierem nemo nescit. Si sub initia, imminet abortus, sed quoad prægnantem, nihil infausti plerūmque præ se fert prognosis; sed non ita, si sub finem graviditatis irruat: magni

A

certè momenti in supremo gestationis termino , gravissima quoque circà octavum mensem ; par erit in utroque casu periculum , ni compescatur ; sed siquidem utriusque diversa est causa , diversa etiam ad sedandam encheiresis. In ultimis enim diebus peculiari arte quâdam poterit uterus ad contractionem provocari , hincque innoxie fætus expelletur ; quo expulso statim coarctabuntur vasorum oscula , remittetque sanguinis minax effluvium ; inter octavum verò mensem , eadem spes non affulget ; invalida prorsùs sibiique deses erit natura , & ni in promptu subveniat ars auxiliatrix , succurratque oculata manus , cum sanguine vita fugiet ; hic ergò periculum in morâ , illuc cunctari decet. De utrâque hæmorrhagiæ specie acturi , quid de vasorum fætum inter & uterum communione edoceat Anatomia , perscrutemur.

Omissâ peculiari uteri fabricâ , quæ ad rem nostram speciatim non attinet , intima tantummodo ejus vasa obiter exponemus. A spermaticis & ab hypogastricis orta hæc vasa , tûm arteriæ , tûm venæ , serpantino ductu in intimam ejus substantiam exspatiantur ; venæ tamen dicuntur minus flexuose. Etsi exigua hæc vasa , præsertim spermatica , injectionum tamen ope , per totum uteri textum ea persequi datur , & insufflatione continuum inter ea esse , seu mediatè seu immediatè , commercium patet. Præter venas & arterias notabilia extant vasa quædam maximè conspicua , privati generis , cellulosa , cavernosorum ad instar corporum , in omni internâ uteri substantiâ sparsa , ab Anatomicis sinus dicta. Quoad horum vasorum fines 1<sup>a</sup>. arteriarum aliæ in hos sinus suum sanguinem fundant , & aliæ in uteri substantiâ exitum reperiunt. Pariter ex sinibus ortæ venarum aliæ , aliæ ex uteri textu , ad truncos tendunt. Sinus autem tubos exigunt qui , pro vario uteri statu , plus minusve la-

tis ostiis, in ejus cavo parent. Et hæc sola vasorum sanguineorum ostia, in cavo uteri hiant; namque quod attinet ad surculos arteriosos, quos laudant summi viri plures, qui, quasi anguillæ repentes, trans internam uteri membranam ire, & in cavo prominere dicti sunt, quasi fila pendula, mera dicuntur ingenii luxuries, & cuilibet hactenùs verè conspicuos fuisse negatur. Quoad poros de quibus dicunt plures, sunt reverè exangues, propriumque ut aliis in caveis exhalant humorem.

Omnia quæ diximus vasa tūm arteriæ, tūm venæ, tūm sinus mutantur in menstruatione, sed insigniter in graviditate. Quæ exilia quidem in utero vacuo, per menstruationem sensilia magis, meroque sanguine referta apparent; in grāvido, sensim ita mole augentur, eā potissimum sede quā hæret placenta, ut exeunte graviditate sint amplissima, venæ arteriis ampliores; sinus verò adeò latescunt, ut extrellum possint admittere digitum, eorumque ostia calatum scriptorium.

De uteri fabricâ vasculosâ multa sanè addenda superessent; sed quid plura? dicta sufficient, & nunc ad externam placentæ superficiem quā utero adneñtitur. Ab initio gestationis tota omnino lanuginosa videtur ea externa superficies, & in toto suo ambitu densa & compacta ejus substantia; merumque diceres parenchyma; at paulatim procedente graviditate, in majori suā parte attenuatur, vel saltem non crassescit, dum alia pars in dies spissescit; ita ut versus tertium mensē jam placenta à chorio distinguatur; pars tenuior nempè est chorion, & placenta densa pars. Utriūsque superficies, in omni ovi peripheriâ, hirsuta videtur villis innumeris brevioribus & exiliissimis. Si queras quānam sit horum villorum natura, quis usus? duplii substantiâ instruī placentam constat, spongiosâ

nempè unā, aliā vasculōsā, alteri alterā superstratā; à spon-  
giosā substantiā exsurgunt hi villi, naturamque tomenti tenent.  
Quoad usum, humorem qualemcumque à vasis uteri exsugunt;  
apud omnes enim in confessu est his viis percolari succum qui  
ad fœtūs nutrimentum facessit; at difficultas est de modo quo  
instituitur illud commercium, & de genio illius succi, quod  
definire hactenūs arduum.

Quām se torserint ab omni ævo auctores de modo quo ab-  
utero succos mutuatur placenta, mirum: alii inter utriusque  
vasa, dari anastomoses docuerunt; sed ex plurimis liquet expe-  
rimentis nullas esse, ideoque tota ruit hæc anastomoseon  
hypothesis. Inosculationes vasis cum vase sibi satis habuerunt  
alii; sed exiguos quos exigit placenta surculos, cum grandiori-  
bus uteri vasis oribus ora jungere nonne repugnat? nonne  
reluctatur luminis disparitas. Graciles villos ex placentā expor-  
rectos in poros uteri se immittere, sicuti conseruntur plantarum  
radiculæ, dixerunt alii: plures in unum vas inferi docebat  
Cel. M. Levret; quod certè nullā autopsiā demonstratum; &  
aliundē immissti in vasa hi surculi vel erunt soluti, vel adhæ-  
rescent: quoquoversus exsurget objectionum myrias. Novum  
lumen indefessis D. *Hunter* laboribus deberi credunt multi.  
Duplicem admittit placentam, uterinam nempè unam, aliam  
fœtalem, sicuti & vaccis sunt cotyledones quorum alii ad ute-  
rinū, alii ad chorion pertinent; docetque ex advecto ab uniū  
placentæ vasis in textum cellularem sanguine, partem nutritiam  
à vasis alterius placentæ secerni & resorberi. Hâc de hypothesis  
dixisse sufficiat, absente tamen malæ fidei insimulatione, dupli-  
cis illiūs placentæ historiam poeticam magis quam philosophi-  
cam nonnullis visam fuisse.

Una vel duplex, ut contendit D. *Hunter*, sit placentā, idest

5

è duabus quibus constat placenta substantiis, una sit uterina, vel ambæ fœtales, quid interest? eodem modo peragitur fœtus nutritio. Sorbitione solâ fieri scripserat olim sagacissimi viri conterraneus *Monro*; dupli placentâ abstinuit, sed non dupli placentæ substantiâ. Si reipsâ diversam habet originem utraque, summum decus cui propriis experimentis, nova hæc eluxit divisio; sed usquedum luce clarior evadat hæc opinio, in priori pedem figere fatius; si quidem non sejunctis substantiis pariter potest evolvi hæc μυχαρι, & simplicior videtur.

Statim atque enim in uteri caveam delapsa sunt prima futuri hominis rudimenta, jam turgere uterum, & undique initium illud qualecumque suis angustissimè parietibus præsepire constat. È poris uteri exsudat mucus quidam qui condensatus, fit gluten cuius ope cum utero coalescit ovum. Indè vasorum oscula obturat hic novus hospes, indèque in caveam effluxuro è sinuum tubis sanguini nulla datur via; ad placentam appellat necesse est. Spongiæ vices gerit villosus hujusce textus, adventitio succo imbibitur, huncque succum dein ab eo sorbent venæ umbilicalis siticulosi fines, qui numero infiniti in hoc textu natant, tanquam radices per aquam dispersæ. A primordio conceptus, vel potius mutuæ adhæsionis, incipit hæc chorea; namque vix fictus, nutricatum efflagitat embryo; sed sicuti pauxilli penoris est indigus, sic & tunc minorem huic impertiunt copiam uterina vasa; (per transennam enim notare liceat ægrè imptægnari mulierem per vasorum plethoram, facilius verò instanti quo menstruo fluxu exinanita fuere vasa.) Jam ne puncto quidem feriatur nova machina, & temporis lapsu sensim affluentis humoris augetur copia; crescendo plus nutritionis exposcit fœtus, ideoque latescunt vasa sinusque sanguine referta; plus ebibit textus spongiosus.

plus quoque exsugunt venæ umbilicalis radices. In eo totum versari artificium quis jure negabit? Non palmarem sed verisimilem sententiam proferre juvit, at nodum expediisse non gloriamur; quæ si tamen genuina sit opinio, risum quis teneat, de tanto pulvere, varioque, omni ætate & per orbem, concertantium tumultu.

Jam aliud problema proponitur: quæritur quænam sit succus quem ebibit placenta indoles. Sincerum ab utero ad fœtum ire crux diù creditum est; at melius edocti negant numeri; contenduntque ne  $\gamma\mu\mu$  quidem sanguinis, sed rorem album tantummodo exsugere umbilicalis venæ radices; docentque à conceptū primordio novam & peculiare exsurgere secretiōnem, & quid in purpureo latice inest subtilissimi & propriè alibilis, à placentæ villis secerni. Eximiis nititur argumentis hæc opinio, hancque fulciunt & ratio, & experientia nec non & analogia: huic ergo astipulari non dubitamus. Quæritur iterum ubinam succus ille fiat sanguis? An placentæ quādam peculiari elaboratione, an proprii cordis fœtūs actione? Plures sibi paravit asseclas novissima hæc sententia, plures quoque in eam insurgunt, & autopsiâ freti, sanguinem que ante cor generari asserunt; si enim viderunt *Malpighius*, *Harveus*, *Hallerus* & alii, sanguineis vasis superbite placentam in ovo incubato, dum cor & omnia in fœtu pallescerent, grave quidem inde orientur argumentum; nos autem, nè saltemus extra chorūm, rem dijudicare non molimur, & Ill. viri ne cineri dolorem inurramus, hæmatoseos suæ artifex esto fœtus. Jam autem ad rem nostram deveniendum: sanguine referta esse uterina vasa constat, imò per graviditatem turgere, & ex illâ turgescentiâ tam largæ procedunt hæmorrhagiæ: quænam sint causæ & symptomata nobis incumbit investigandum, exhibendaque mendendi ratio,

Una & eadem est proxima hæmorrhagia uterinæ causa, quocumque gestationis tempore accidat: scilicet placentæ à vasis uterinis avulsio, hujus autem avulsionis ratio diversa. Vel enim fortuitò fieri potest, vel spontè, ut ita dicam, evenit, & ab ipsius rei naturâ pendet. Etenim si graviter lapsa fuerit ad summum terminum prægnans, vel temerè exercitata, &c. vel si subrepserit ex occultis pluribus, specialis quedam causa, plus minusve lato orbe rumpetur uterus inter & placentam adhæsio; tunc ex uteri vasorum hiantibus ostiis fluet sanguis maternus, moxque fiet hæmorrhagia; quod non adeò infrequens, sed in speciali quâdam & fortuitâ causâ vertitur. Ineluctabilis verò hæmorrhagia versus octavum gestationis mensem, si supra uteri ostium adjaceat placenta: omnibus enim notum est sub finem graviditatis ad totam uteri expansionem, pro rata portione, conferre cervicem, seque cervicales fibras ad instar aliarum explicare & inde à se mutuo divaricari, quin & jam paululum fatiscit uteri orificium. Ordinem inde perverti necessum; jam uteri vasa è loco primo dimota, vasis placentæ non assentiuntur, rumpitur inter ea felix olim nexus, intercipiturque commercium; spongiosus placentæ textus reglutinatur, dum uterina vasa patent hiulca; indè tot rivi sanguinei, indè periculosior hæmorrhagia.

Sive à fortuitâ ut dictum, sive à spontaneâ, tempore præstituto, placentæ avulsione oriatur sanguinis fluxus, sub initia vulgo guttatim & lentè fluit, & absque ullo ad partum dolore; qui status plurimis diebus, non raro viginti circum circâ, perdurat; sic sine dolore stillat sanguis, vel jugiter vel identidem, & sine molestiâ ferè, nec virium defectione, sed cum languore quodam tantum & gravatim vitam agit prægnans. Ast repente copiosius prosilit sanguis, in enormem massam coagulatur, stu-

pent omnes ; trepidantque & non lymphato metu : etenim nō in promptu adsit sagax Chirurgia , supervenient lipothymiae , sudores frigidi , oscitationes , tinnitus aurium , prosternentur vires , & subito de miserā erit decantatum. Quod felicioris hodiernæ praxis beneficio sœpè sœpiùs avertitur.

Quid in utroque casu tentabit Chirurgus , à primordio veræ causæ inscius ? Si nullus ineunte sanguinis effluxu urgeat dolor , si modicus sit , & hactenùs valeant vires ; apage digitus in vaginam indaginem , quam et si prædicant & exhibent incauti & inexperti , plūs noxii quām frugis impertiet. Cubile ineat & assiduè jaceat ægra ; absint & sanguinis missiones & stipticorum usus , tenuis victus præcipiatur , & cæterum otiosus excubet obstetricans.

Quæ tandiù obtinebit agendi ratio , quandiù modica erit hæmorrhagia , & præsertim quandiù valebunt vires ; non raro enim adhibitis hisce cautelis , remisit sanguinis effluxus , saltem non in ostio adhærente placentâ , & exinde benignus omnino subsequutus est partus. At verò si , ut dictum , aliquot elapsis diebus , subito irruat sanguis , si quid de viribus decidere percipiatur , pungant dolores necne , rem exploret Chirurgus , & tunc , scrutanti digito , si obvia sit in uteri ostio placenta , specialis certè causa patebit & nullum supererit dubium ; alibi verò jacere constabit , si digito non occurrat.

His dignotis obvium se præbeat Chirurgus , diversumque pro diversâ specie adhibeat modum ; si constet in fundo uteri , vel alias , sed non in cervice hospitantem placentam , à quâlibet causâ partim eradicatione fuisse , quandiù in utero morabitur

bitur infans, tandiū expansi uteri soluta patebunt vasorum ora; & quò fluet copiosius, eò longius serpet sanguis, latiorque fiet placentæ avulsio, indèque magis ac magis sœviet hæmorrhagia. Quâ de ratione properandam esse fœtûs extractionem commendârunt antecessores, & dudum obtinuit hæc praxis; ast quandoquè incidere esset in Scyllam, & extracto fœtu, læthalem successisse hæmorrhagiam, nedum compesceretur quæ urget, pluriès comprobavit experientia; diuturno enim sanguinis effluvio fractus uterus ad debitam retractionem fit piger, hujusque languescunt fibræ; inertes ergo post subitam fœtûs & secundinarum extractionem, retractionem abnuent, & ad extremum, expanso viscere, hiabunt vasorum ora, undique pluet sanguis, & ad mortem.

Cui infortunio cavens longo perspicacique usu edocetus Cel. M. Puzos, aliam sibi selegit viam. Adnotaverat vir egregius eò exæstuari minùs sanguinis effluvium, quò magis & acutioribus agebatur mulier doloribus, & vice versa; necessarias ergo contractiones & frequentes, & validas censebat. Sed aliundè, instantे hæmorrhagiâ, lentam persæpè viderat naturam, perlevesque tantum & languidos esse dolores observaverat; incitandum proindè censuit uterum, ut invitus, sed artis auxilio impiger factus, fatalem præcaveat exitum. Hoc autem erat summi viri præceptum, quod Reipublicæ opportunum & conduçibile munus obtulit: in uteri orificium immittantur unus vel plures digiti, quorum ope titilletur, excitetur orificium; hujusque hâc ratione inchoatus absolvatur hiatus. Duplex hâc titillatione oritur lucrum, promoventur, sensimque recrudescunt dolores, & magis magisque dehiscit ostium. Indè paulatim procedente infantis capite, obturantur vasa, contractionibusque repetitis horum minuitur lumen, indè deflagrat hæmorrhagia, inci-

tatoque gradu properat partus. Neminem latet hanc praxim nequaquam obtinere posse , si perversè sit in utero situs infans; quo enim in extremo casu , extrema ; succedit verò plerumquè dum quoad situm legitimè se res habebunt ; sic enim pluriès obstetricantium olim ille Coryphæus arte suâ , sedato cruxis effluvio , genuino partu, & incolumi puerperâ , vegetum latus obtinuit infantem ; sicque hujus vestigiis insistentes plurimi , non semel ab orci faucibus & matrem arripuerunt & prolem.

Non ita succedit hæc methodus si à cervicalibus uteri vasis orta fuerit hæmorrhagia. Si larga & copiosa , & de causâ sis certus , jam citò ad opus te accingas , minori enim cunctatione augeretur sanguinis effluvium , minuerentur vires , & proindè cresceret periculum. In vaginam immissæ dextræ obviām se offert placentæ soluta pars ; an penè eam inferi debeat obstetricantis manus , usque ad chorion , vel pertundere liceat ipsammet placentam ad pergendum , trans eam immissâ manu , quo usquè occurrat unus ex infantis artibus , fuit problema ; utramque enim praxim proposuerunt & expertissimi in re obstetriciâ magistri ; at prior unanimi consensu fuit recepta , prorsusque ablegata alia ; quippè non nisi ægrè , & diu agente digito , poterit perforari placenta ; hoc verò opere faciliùs discedet quām perfodietur , & exindè major fiet vasorum solutio , antequām trans placentam manui pateat iter. Promptè ergò & leniter fiat superstitis placentam inter & uterum adhæsionis , in uno è lateribus , solutio , celeriter dilacerentur membranæ , & inducatur manus ad fœtum ; statimque apprehenso pede , quod in hoc casu non ægrè fit , juxta artis leges educatur infans. Hâc novâ solutione , jam sanguinem lato ore effudentibus vasis , addentur alia certè plura quæ patebunt , & sanguinem quoque largo mittent flumine ; sed si celer sis in agendo , & industrius , vix

hiulca & soluta vasa, promptâ uteri contractione subsequenti, arctiora fient, horum oscula angustabuntur, proindeque claudentur hi rivi, sicutetque sanguinis effluvium; quod rationi consentaneum, & quotidianâ constat experientiâ.

Quo peracto, in extrahendis secundinis ne sis tardus: à communi lege aberrat hic eventus. Si enim moreris, pro majori parte eradicata placenta, expansum, cunei ad instar, retinebit uterus, & exinde hiantia remanebunt uterina vasa, quæ coarctari instat; exemptâ autem placentâ in priorem statum facilè reddit uterus, stringuntur vasa, nec amplius pertimescenda supereft hæmorrhagia, nisi iners remaneat uterus, de quâ inertiâ hic agere abs re esset.

**HAS THESES**, Deo juvante & Preside M. GUILLELMO-LUDOVICO PIET, Regiae Chirurgorum Parisiensis Academiæ Consiliario, antiquo Scholarum Preposito, nec non agrè parturientibus egenis, Regio diplomate, Adjutore constituto, tueri conabitur JOANNES - BAPTISTA - ANTONIUS - GASPARDUS FORESTIER, Parisinus, in almâ Universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister, Theseos auctor.

Die Veneris 30<sup>a</sup>. Augusti 1782, à sesqui-secundâ post meridiem  
ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO  
ET  
MAGISTERII LAUREA:

**P A R I S I I S,**  
Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ  
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

---

M. D C C. L X X X I I.

